

Aspectu variabilis, sæpius subpedalis, hæc planta in irrigatis fit luxurians 2-3-pedalis; sed structura involucri et fructus satis constans. Ducibus celeb. Benth. et H. fil. (Gen. Pl. ii. 512) et Boissier (Fl. Or. iii. 734) *Spitzeliam*, Sch. Bip. loc. cit. pro sectione *Picridis* habui. *S. cupulifera* a *P. pilosa*, Del., nec involuero nec fructu nec habitu differre videtur. Huic proximæ sunt *P. radicata*, Forsk. (= *P. lyrata*, Del.), et *P. atlantica*, Coss. (sub *Spitzelia*), sed in his pappus acheniorum exteriorum longiuscule fimbriatus est.

HELMINTHIA (*Juss. Gen.* 170).

H. ECHIOIDES (*L.*, sub *Picride*; *Gærtn. Fruct.* ii. 398, tab. 169; *DC. Pr.* vii. 132).

Mar. sept.—Tanger!

Ar. Geog. Europa media. Regio omnis Mediterranea (inclusa Macaronesia).

Pace celeb. Benth. et Hooker fil., qui *Helminthiam* ad sectionem *Picridis* revocarunt, hoc mihi videtur genus omnino naturale, structura involucri propria bene definitum.

H. ACULEATA (*Vahl, Symb.* ii. 89, sub *Picride*; *DC. Pr.* vii. 132).

Mar. occid.—Legi prope Casa Blanca spec. unicum casu aliquo vel absconditum vel perditum!

Ar. Geog. Africa borealis. Sicilia.

CREPIS (*L. Gen.* 914).

C. TINGITANA (*Salzm. Exsicc.*, sub *Hieracio*).

Mar. sept.—In monte Djebel Kebir et alibi in umbrosis prope Tanger! (*Salzm. spec.*)! (*Webb Herb.*)!

Mar. occid.—Casa Blanca!

Ar. Geog. Marocco. Hispania Gaditana a me prope Algeciras, et a Bourgeo pr. Alcalá detecta, sec. Willk. et Lange.

Crepis spathulata (*Guss. Pl. Cat.* 1821; *Spreng. Syst.* iii. 651; et *DC. Pr.* vii. 153, sub *Barkhausia*) est planta aliena, quæcum cel. *DC. l. c.* speciem nostram perperam conjunxit. Stirps Sicula habet folia caulina pauca lineari-lanceolata, exauriculata, et achenia brevissime rostrata, nostra invicem gaudet foliis caulinis plurimis oblongis vel subspathulatis, sæpius dentatis, semper ad basin auriculatis, et acheniis longiuscule rostratis.

Habui ex Sicilia spec. *C. hyemalis*, Biv., pl. nostræ subsimilia, sed in hac foliola exteriora involucri latiora et laxiora. In *C. tingitana* capitula sat magna, ligulæ saturate flavæ, caules paulo supra basin ramosi, 1-2-pedales. *C. macrophylla* (*Desf. Fl. Atl.* ii. 231; *DC. Pr.* vii. 155, sub *Barkhausia*), ex descript. Fontanesiana, sp. nostræ valde proxima, est mihi species incerta, cujus exemplaria nulla vidi, nec vidit celeb. *DC.*

C. TARAXACIFOLIA (*Thuill. Fl. Par.* i. 409; *DC. Pr.* vii. 154, sub *Barkhausia*).